



**R. P. Ferdinandi De Castro Palao, Legionensis Soc. Iesv,
Sacrae Theologiae Professoris, Et sanctae Inquisitionis
Qualificatoris & Consultoris; Operis Moralis, De Virtutibus,
Et Vitiis Contrariis, In ...**

De Virtute Religionis, Et Ei Annexis; Continens quatuor Tractatus
Theologiae Moralis praecipuos. Primus, in ordine decimusquartus, de
Iuramento, & Adiuratione. Secundus, de Voto. Tertius, & charior Authori,
de statu Religioso. Quartus, de vitiis oppositis Religioni

Castro Palao, Fernando de

Lugduni, 1669

Qualiter gaudentes potestate tantum commutandi vota, eam exercere
possint. punct. 16.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-76572](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-76572)

Sanch. lib. 4. c. 49. n. 15. Lessi. lib. 2. c. 49. dub. 16. n. 102. vers. melius in secunda editione.

5. Supradictam doctrinam ampliare debes ad rem sub dubio, vel sub opinione superiorum. Quia dum de excessu materiae subrogatae manifeste non constat, honestari non potest mutatio rei promissa. Solum enim in promissione materia superior excepta fuit, ne votum censetur maius bonum impedire; non autem ea, quae solum sub dubio est superior. Sic Sanch. lib. 4. c. 48. n. 8. cum Valent. 2. 2. disp. 6. q. 6. punct. 7. circa finem vers. notandum. Sayro in clau. Regia lib. 6. c. 12. n. 5. Si vero casus adesset, in quo certus esset de aequalitate materiae subrogatae dubius tamen superior sit. Affirmant Suar. lib. 6. c. 18. n. 16. Sanch. c. 49. n. 14. Propria auctoritate commutationem fieri potest, quia vtiliter negotium domini geris cum lucro expectas, & iacturam non timeas. Adde illam rem subrogatam absolute superiorem esse; siquidem ultra aequalitatem certam sub dubio superioritatem habet.

6. Hinc fit ad commutandum votum in rem euidenter aequalem, necessarium esse auctoritatem Praelati habentis iurisdictionem ordinariam, vel delegatam. Quia haec commutatio est quaedam diminuta dispensatio, & debiti remissio nomine Dei facta; ac proinde iurisdictionem expostulat, & consequenter causam ad sui valorem. Sic Suar. lib. 6. c. 19. n. 3. Sanch. lib. 4. c. 49. n. 22. & c. 50. n. 17. Laym. lib. 4. summ. tract. 4. c. 8. n. 19. Quapropter non a quolibet confessario (vt docuit Vivald. candelab. Sac. 3. p. 14. n. 15. & Lessi. l. 2. c. 40. dub. 6. n. 105. Fieri potest, sed ab habente in foro externo iurisdictionem. Et tradunt Suar. n. 6. Sanch. n. 13. Laym. n. 19.

7. Ad commutationem faciendam in rem manifeste meliorem nulla causa specialis requiritur, quia ipsamet susceptio perfectionis obligationis vix pote Deo gratior sufficit pro causa. Et tenent communiter Doctores Caietan. q. 88. a. 12. vers. in commutatione. Nauarr. c. 12. n. 63. Azor. 1. p. l. 11. c. 18. q. 3. Sa verbo voti irritatio n. 10. Lessi. lib. 2. c. 40. dub. 16. n. 110. in 2. editione Suar. l. 6. c. 18. n. 9. Sanch. lib. 4. c. 50. n. 15. Layman. l. 4. summa tract. 4. c. 8. n. 21. Pro commutatione autem in aequale, & a fortiori in minus causa requiritur. Quia est aequalis remissio obligationis contractae, quam fieri absque causa Deo placere non potest; potius enim illi placet contrarium vix pote conformius fidelitati debet. Et tradunt Caietan. d. arr. 12. §. in commutatione. Couarr. de pactis 1. p. 8. n. 4. Sanch. l. 4. c. 50. n. 17. Suar. l. 6. c. 19. n. 5. Layman. cap. 8. n. 22. & alij apud ipsos.

8. Causa vero ad commutationem faciendam in rem aequalem leuis sufficit; quia non est absoluta obligationis remissio, sed illius translatio. Communiter censent Doctores sufficere, si commutationem ardentem petas sperans maiori cum fructu materiam subrogatam executurum; quia in honorem Dei cedit, si se benignum exhibeat debitoribus voluntariis obligationem materiae promissa remittens contentus alia equali. Excitantur enim videntes ad noua vota, & facta cum maiori fructu expleat. Sic Caietan. 2. 2. q. 88. a. 12. vers. in commutatione & in summa verbo votum c. vlt. Valent. disp. 6. q. 6. punct. 7. circa finem vers. ex commutatione. Suar. l. 6. c. 19. n. 10. Sanch. alijs relatis lib. 4. c. 50. n. 22. & 23. Layman. l. 4. tract. 4. c. 8. n. 23. Lessi. lib. 2. c. 40. dub. 16. n. 110. in secunda editione. Ad commutationem faciendam in rem minorem, cum non ex potestate commutandi, sed ex potestate dispensandi ortum habere possit; ea causa requiritur quae ad dispensationem de qua supra.

P V N C T V M XVI.

Qualiter gaudentes potestate tantum commutandi vota eam exercere possint?

S V M M A R I V M.

- 1. Propositur dubitandi ratio.
- 2. Ad solum aequale extenditur.
- 3. Qualiter hac aequalitas sumenda sit.
- 4. Quis modus sit seruandus in commutatione.
- 5. Qualiter vota libitali vel bulla cruceata facultate committentur, remittuntur.

1. Ratio dubitandi est: quia aequalitatem inuenire materia subrogata difficillimum est. Si igitur potentes vota commutare contenti esse non possunt minori materia subrogata, eorum potestas, inutilis est, cum raro vel nunquam exerceri possit. Quapropter plures Doctores censent in paulominus fieri commutationem posse. Sic Toletus lib. 4. summ. c. 13. n. penult. Emanuel. Sa verbo voto irritatio n. 10. in editione Complutensi, & alij relati a Sanch. lib. 4. c. 50. n. 2.

2. Dicendum tamen est, ad solum aequale hanc potestatem extendi. Quia commutatio est contractus, in quo vnum pro alio ex voluntate creditoris subrogatur. Petit ergo aequalitatem iuxta Arist. 3. Ethicorum, alias non erit commutatio, sed

donatio. Deinde si remissio obligationis sub minori materia subrogata est commutatio quamuis materia subrogata nobiliter minor sit, commutatio erit; quia non apparet vnde limitetur. Ergo priuilegium commutandi ad eam commutationem vix pote propriam extendi poterit, quod saluum est, neque ab auctoritate admittitur, coincideret enim potestas commutandi cum potestate dispensandi, proxi committeret exercetur. Ergo potestas commutandi spectata vocis proprietate, & communi acceptione ad solum aequalem subrogationem, non ad minorem extenditur. Et ita docent. Caiet. 2. 2. q. 88. a. 12. vers. in commutatione & in summa verbo votum c. vlt. Couarr. de pactis 1. p. 8. n. 4. Sanch. l. 4. c. 50. n. 4. Suar. l. 6. c. 19. n. 7. & 8. Laym. l. 4. sum. tr. 4. c. 8. n. 24. & alij plures apud ipsos.

3. Haec tamen aequalitas non ita rigide, & scrupulose sumenda est vt certo de illa Praelato constare debeat. Vt recte probat ratio dubitandi: sufficit enim si probabiliter constet. Adde non requiri mathematicam aequalitatem sed moralem, quae sic reputatur quoties excessus manifeste non appareat; quae de causa Doctores c. 1. relati censent, commutationem fieri posse in paulominus: quia quod parum ab aequalitate distat, nihil ditare videtur, sed moraliter aequale est. Sic Azor. 1. p. l. 11. c. 18. q. 3. Sanch. c. 50. n. 7. Suar. c. 19. n. 9. Sayr. in Clau. Reg. l. 6. c. 12. n. 19. Laym. l. 4. sum. tr. 4. c. 8. n. 24.

4. Modus autem faciendi commutationem prudens arbitrio relinquatur spectata qualitate tum voventis, tum operis promissae tum finis ob cuius consecutionem votum factum est. Quibus consideratis prudens Praelatus facile aequalitatem moralem etiam inter res diuersas inuenit. Nam ethico Physice diuerse sint, & dissimiles, aequalitatem quoad diuinum cultum, meritum & satisfactionem habere possunt. Suar. lib. 6. c. 19. n. 21. Sanch. lib. 4. c. 56. n. 6. Lessi. lib. 2. c. 40. dub. 16. n. 109. in secunda editione. Sayro in Clau. Regia lib. 6. c. 12. n. 5. & 6. Layman. lib. 4. sum. tract. 4. c. 8. n. 25. Ex quo fit, votum personale in reale commutari posse, & contrari manifeste conueniunt ex c. 1. de voto, tamen si quoad fieri possit consuetudinis sit, vota personalia in personalia, & realia in realia commutare. Quia sic fini voventis, qui in votis praecipue spectandus est magis congruit Sanch. d. c. 56. n. 14. Suar. c. 19. n. 16. Layman. c. 8. n. 24. Lessius supra: Eademque ratio: opus non est, vt votum perpetuum in aliud perpetuum commutetur, quia temporali obsequio nobiliori perpetuum compensari potest. Suarez tom. 21. Sanch. n. 27. Aliqui tamen dicunt in voto pergrinationis commutando non esse comparandas expensas, quas secundum sui status debeat, nec quas stando, & redeundo vovens facturus esset, quia omnes ille non videtur sub votum cadere. Siquidem votum satisfacit simpliciter eundo absque villo comitatu, vllave assistentia in loco peregrinationis, vlloue reditu. At omnino tenendum est comparandas esse. Nam esto non fuerit in rigore promissa, moraliter tamen & tanquam quid accessorium promissa sunt. Quia promissa est peregrinatio, qualis a personis eiusdem qualitatis communitur fit. Et colligitur manifeste ex c. magna de votis, ibi. Expensas quas fueras eundo, morando, & redeundo facturus. Sectis vero esset si expressis vovens ite mercandus. Quia tunc non expensae, quae nulla sunt, sed labor computandus est. Semper tamen deducendae expensae, quae domi essent faciendae. Quia haec sub votum nec accessorie cadunt Suar. lib. 6. c. 19. n. 20. & 21. Layman. n. 24. Sanch. alijs relatis lib. 4. c. 16. a. n. 14. & seq. Quem omnino vide, quia satis prudenter & docte (vt solet) praxim commutationis toto illo cap. 16. expendet.

Qualiter autem vota per facultatem in tubilicis, aut bulla cruceata concessam commutentur, & explicando bullam cruceatam declaramus, interim videri potest Sanch. l. 4. sum. c. 53. a. n. 6. & c. 54. per totum.

P V N C T V M XVII.

An commutatio facta in aequalem vel minorem materiae valida sit, extinguatque prioris voti obligationem?

S V M M A R I V M.

- 1. Quid respondeat Sanch. quae.
- 2. Quid sentiendum sit, declaratur. Et in primis commutatio non in rem aequalem vel minorem propria auctoritate nullam esse.
- 3. Commutatio facta in minorem materiam auctoritate Praelati nulla est, & satisfactio rationibus adductis a Sanch.
- 4. Neque est valida commutatio Praelati in rem aequalem manifeste absque vlla causa.
- 5. Quae commutatio voti obligationem extinguat.
- 6. Peccat spectata nostra sententia qui commutationem in aequale se pretendit a voto liberare.
- 7. Facta commutatione nulla vovens obligatur ad votum. 1. Quod tripliciter

DE
CASTRO
PALATINO
TOM.
IIII